

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

LXXXI. Additamenta Ad Disp. XII. De Regno Austrasiae

urn:nbn:de:bsz:31-102564

LXXXI. ADDITAMENTA AD DISP.
XII. DE REGNO AVSTRASIAE
CAP. III. §. 2.

Ducatus *Lotharingiae*, pace proxima restitutus est, sed duris quibusdam conditionibus, quae Ducem certis praestandorum capitum legibus adstringunt, et fines eius Galliae aperiunt, Nancio munitionibus nudato, et *Saravo Ludovici* castro Gallis relicto, tum iure tranquillo innoxio concesso, sic quidem, ut Gallico militi loca *Lotharingiae* finitima adeunti, aut inde redeunti, regio semper pateat, quae conditio est Principis libertati gravis, sed ut conficeretur tandem, quod *Noviomagi* non successit, restitutionis negotium, approbata, et in pacis tabulas relata. Liberam cetero qui plenamque possessionem, cum omni iure et potestate territorii, ac summi Principis dominio, pro se et heredibus, atque omnibus successoribus recepit, ex formula pacis *Rysvici Batavorum* factae, *Art. XXVIII. et XXXII. qui se mutuo declarant*, ut neutrum sine altero concessum, et possessio cum Imperio civili, ac potestate eminenti coniuncta intelligatur. Ius vero *supremi domini* quoniam *salvis Imperii rationibus* accipiendum sit, haud dubitandi locus est, si *transactio Norimbergensis*, substructo antiquae in *Procaaspide* factae pactionis fundamento, ita explicatur, ut imperio fraudi non sit, et talis saltem coniunctio maneat, quae non omnem protinus obligationem dissolvat, et illam vero semper inviolatam relinqvat, quia Dux *Maiestatem Imperii* comiter conservare tenetur. Vocabulum, *non incorporabilis*, indicat, ducatum illum nunquam in conspectu Imperii *Germanici* conflandum, et, si quando etiam ad feminas transeat, dominosque mutet, veteri nomine appellandum, adeo ut sub Imperii auspiciis neque nomen, neque dignitatem amittat. *Diploma transactionis* edidit *Io. Iac. Chiffletius in commentario Lothariensi, cap. IX.* Ducatus *Barrensis* eadem pace redditus est, utpote qui est antiqua *Lotharingiae* portio, et inde ab *Ottonis M.* temporibus regno *Germaniae* coniuncta, ac ne magno quidem interregno, et perturbatissimo Imperii statu, amissa, neque ulla, Imperatorum cessione ad vicinos *Francogallos* translata, nedum ab *Alberto I. Auftrio*, abalienata, quoniam *eo imperante*, *Philippus pulcher directum* eius dominium sibi arrogavit, et *Henricum Barri Comitem* armis, superatum, ut sacramentum clientelae sibi diceret, coegit. At enim *Henrici* in tractu *Barrensi* successiones, et *Lotharingiae* Duces contradixerunt, tabulisque Imperatorum beneficiariis in pristino iure confirmati sunt, quarum exempla passim leguntur, et bona fide a *Chiffletio* adducuntur. Dux nihilominus, salvo iure antiquo, *Barrum* (*hodie Barrodunum*) atque huius nominis ducatum, sub Clientela Gallica denuo possidendum

dum accepit, at Longovicum urbem, et Longovicensem praefecturam Galliae Rex detraxit, et opportunitatis ac situs causa retinuit, *pac. Rysvicenf. art. XXXIII.* Quo ipso huius ducatus conditio deterior facta est, sed amor in pacem effecit, ut Gallorum postulatis Dux locum daret. Illud vero aequum et iustum, publice tranquillitati necessarium fuit, ut removerentur callidi versatique iuris artificia, et novae ad subigendum vicinos machinae, omnium pacifcentium consensu everterentur, quas comparavit regendi cupiditas, non subministravit legum auctoritas, nec vetustatis exempla suppeditarunt. Speciosa haec potentiae simulacra, nullo seu veritatis, seu aequitatis praesidio fulta, pactio superiore anno facta disiecit penitus ac dissipavit. *art. XXXI. ad articulum pacis IV. relatus.* Atqui hic inter summos pacifcentes convenit, et publico nomine statutum est, ut ab Rege Galliae restituantur omnia bello proximo per vim, aut per speciem huius recuperatorii iuris capta, armisque erepta, sive ut in ipso pacis Rysvicensis instrumento legitur: *quaevis tam durante bello, et via facti, quam Vnionum seu Reunionum nomine occupata loca et iura, quae extra Alsatiam sita, aut indice Reunionum a Legatione Gallica exhibito expressa sunt, cassatis, quae ea de causa a Cameris Metensi et Vesontina, ut et Consilio Brisacensi edita sunt, Decretis, Arrestis et Declarationibus, omniaque in eum statum reponentur, quo ante illas occupationes, Vniones seu Reuniones fuerunt, nullo deinceps tempore amplius turbanda, seu inquietanda.* Ex quibus iam apparet, et abunde constat, omnes quocumque tandem modo nominentur, recuperandi et postliminio recipiendi titulos, atque omnes adeo in universum Vniones et Reuniones, sive a Clodovaeo M. repetitas, sive ab Austrasia desumptas, sive proxime et praecipue a cassis Medimatricum, Leucorum et Virodunensium *Episcopatibus* arcescitas, nullo iuris colore in posterum valituras, quippe quas sustulit haec pactio, irritasque fecit. Nam ratio de Clodovaeo nihil efficit, et longius abest a regno, multis post Clodovaeum seculis et imperantibus Karolingis constituto, quod extincta Lotharii propagine, cum Francia Orientali coaluit, et Germanicae ditionis Regibus et Imperatoribus subiectum, atque a Francia Occidentali et Neustrica separatum, Germanorumque viribus et armis defensum, sub nomine et iure regni Germanici permansit. Nec vero Clodovaeus universam tenuit Germaniam, neque Alemannos, et proximos his Boros, in provinciam redegit, sed ex hostibus Francorum amicos fecit, nec Franco-Galliae adiunxit, multo minus reliquas Germaniae regiones subegit, et Franciae Neustricae subiecit, vel sacramento clientelari devinxit. Narrationes *Auberianae* de Lotharingia inanes et fabulosae sunt, quandoquidem illa septingentos iam amplius annos coniuncta fuit cum ditione regni Germanici, et post interitum Lotharii iunioris, a Ludovico Germaniae Rege vindicata, neque ab eius successoribus neglecta, et post mortem Regum Karolini generis, ab Henrico Aucupe recepta, et novo in-

super

super pacto confirmata, tum ab Ottone M. defensa, constanterque servata, ut ab hoc tempore iidem essent Austrasiae et Lotharingiae, qui Germaniae Reges, horumque auspicio, imperio et ditione ambo *ducatus* continerentur. Eodem iure devincta et regno Austrasiae coniuncta erat Alsatia, sed tota nunc Gallis cessa, ne Argentorato quidem excepto. Quamquam in principio, et praeparatione pacis promissio eius restituendae Urbis facta, sed in negotii ingressu et compositione, praeter et contra expectationem, haud praestita atque impleta est, cum belli temporumque fortuna sociorum studia, et de pace tractantium consilia converteret, animosque tandem in cessionem inclinaret, *Art. XVI.* Quantum in eo Rheno claustrum situm Gallis fuerit, ostendunt satis cautionum et clausularum formulae, quae in nullo pacis conventae capite, crebrae magis et conquisitae reperiuntur. Atenimvero munimentum, quod dicitur, *Koblianum* a Gallis in dextra Rheno parte extructum, Imperatori atque Imperio attributum et cessum est: *Eriburgum*, Brisigaviae castrum, nulla parte accessioneque dempta, Imperatori et Austriae domui, ad quam pertinuit, redditum: *Mons-Brisiacus*, in eodem Brisigaviae tractu munitissimus, et Burgundiae Sequanorum proximus, atque in veteris Academiae finibus quondam inclusus, cum urbe et arce, ad vetus Austriae patrimonium auspiciato rediit, et integra ac bona fide, atque in hodierno, nec mutato operum munitio- numque et aedificiorum statu restitui ab Rege iussus est, quem Sexaginta annos amplius Galli tenuerunt. *Art. XIII. XIX. XX.* Summa aequitas postulat, ut Germania tantae cessionis damnum reficeret, ac praedictas Urbes et castra antea de corpore Imperii detracta, compensationis nomine acciperet, ea- que praestandi *aequivalentis* causa ab altera parte stipularetur. De Philipsburgo, in quo Gallia nihil praeter ius praesidii habuit, restituendo provisum et praecautum est, *art. XXII. infra.* Sed *Castellum Ludovici* Galliae relictum in eo- que a pace Noviomageni recessum est, ut in plerisque aliis patriae commo- do, et inita aequitatis ratione, sic periculose hoc loco, ne sine metu, in primis finitum causa. Nihil tamen hic temere suspicandum est, nedum de regibus, quorum interest servare fidem, praesertim in componenda pace, et pactioni- bus constituendis. *Art. XXIV.* Praeterea *Mons Regalis*, qui in alieno solo in aedi- ficatus, Mosellae accolis frenum imposuit, et finitimis servitutem minatus est, huius pactionis lege, aequatis solo operibus, vicinos metu periculoque libera- vit. *Art. XXV.* Restat, ut de *Alsatia* subiiciam, eam perinde ac alias Rheno Mosaeque finitimas regiones, ad regnum Austrasiae relatam, et simul uni Germaniae regno, summoque eius imperio fuisse coniunctam, nullam vero illarum, quae extra Alsatiam principali et Palatina Imperii dignitate constitu- tae sunt, Alsatiae obnoxiam extitisse: contra Alsatienfes *Landgravios* instituis- se rationes suas, et salvo *Landgraviatus* iure, patrocinium quoque Principis

extra

extra Alsatiam admisisse speciatim non defugisse auctoritatem Ducis Luxemburgii, qua defensoris et Advocati provincialis, nullo tamen clientelae nexu, aut obsequii vinculo astrictos. Similiter atque Trevirorum Antifites, patrocinio huius Advocati suscepto, pristinum statum servarunt, ac nemini, praeterquam Imperatori, officia Principum, atque obsequendi studium professi sunt, et praestiterunt. Sane *Palatinus* ab ultimis Imperii initiis *Landgraviatu* dignior, et Rhenanus ille ceteris Germaniae *Palatinatibus* nobilior, et auctoritate praestantior, et muneris praerogativa, si Saxonum excipio, maior, nulli unquam alii *Palatinatui*, nedum *Landgraviatui* obnoxius, aut quacunque iuris *dependentis* ratione devinctus. Id quod monumentorum periti sciunt, et usu rerum praediti ultro amplectuntur, nec testimoniis, et exemplis egent, neque adiumenta solum apud Frederum et Chiffletium quaerunt. Sive autem ex Alsatia, sive ex Alemannia receptum est antiquissimum Brisgaviae castellum, reliquias nunc in eo pristini, in Alsatia quondam Aufriaca, patrimonii spectamus, eo magis deinceps curae futuras, quod Romani prius Brisfacum, quam Argentoratum exaedificarunt, et praesidio legionis, quinetae decimae firmarunt, ex eoque ulterioris Germaniae populos represserunt, atque aditu et incurfione finium prohibuerunt. Luitprandus illud manifesto in Alsatiam collocavit, *histor. lib. IV. cap. 14.* Quem secutus est Sigebertus Gemblucensis, in *Chronico an. 1443.* Nihil autem causae est, cur miremur, urbem, et arcem illam, Rhenique ex illa Germaniae parte claustrum, ad Burgundiae fines relatum, quando memoriae proditum est, Alsatiam quoque, illam maxime, quae patrimonium Austriae complexa est, nunc Sequanis, qui Burgundiam, nunc Mediomatricibus, qui Austrasiam incolunt, contributam, et post varias conversiones tandem, suis separatim finibus constitutam: quod ex scriptoribus Francis liquet, ab iisque mutuati sunt *Fr. Guillimannus, et Iodocus Coccus, ille Habsburgiac. lib. II. c. 5. Iste in Dagoberto cap. III.* Ut vero Austrasia, exceptis duntaxat partibus, cessione alienatis, ditione et Imperio Germaniae continetur, sic Burgundia nihilo secius eam agnoscit, quae nondum derelicta, aut cessa est, speciatim Sequanica, *Montis Bellicardi* complectens Principatum, pace proxima restitutum *Art. XIII.*

LXXXII. AVCTARIUM AVGVSTAE SEQVIORIS.



Enricus Auceps, natione Saxo, gente Vitikindea, et illustri loco natus, Ottonis Saxonum Ducis, qui delatum suffragio regnum Germaniae recusavit, et Luitgardis filius, Saxones Turingosque ditione sua comprehensos, ad armorum disciplinam instituit, ludos